

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0518

0516

0522

0512

0527

0507

0567

0467

0617

0417

1017

0017

Ende

Anfang

503

hoc monasterium olim multos monachos et sanctos, jam vero
habet paucos et excoecatos. Ante aliquos annos erant ibi
centum circiter et post LXXX, jam vero vix sunt ibi XXX. Ha-
bent tamen monachi illi quaedam laude digna, quaedam vero
exsecrabilia. Laudo eos in hoc, quia regulae professores sunt,
scilicet regulae S. Basilii, quo docente satis rigorosam vitam
ducunt quoad alimentorum parcitatem et vestimentorum vili-
tatem. Parcus enim est cibus eorum, sicut omnium orientalium,
et potus aqua cottidie, demtis quibusdam maximis eorum fe-
stivitatibus, in quibus ministratur fratri haustus vini. Vestitus
eorum est vilis et (b) abjectus. Tunicas habent differentes,
unus sic, alias sic, nullius tamen coloris splendidi vel bonitatis,
et sunt longae sicut tunicae clericorum, cincti sunt latis cor-
rigiis, non habent scapularia sed caputia, quae circa collum
vel guttur non clauduntur, sed deorsum a capite in dorsum
dependent. Verum a loco temporum dependent a caputio duae
peciae, tegentes ab ante scapulas usque ad cingulum proten-
sae. Omnes comam et barbam nutrunt et modo Nazaraeorum
incedunt, carnes numquam manducant, vino non utuntur, nisi
sicut praemisi. Multi senes viri seriosi et maturi sunt inter
eos ; quicumque convolat ad eos, de quacumque secta, demtis
Jacobinis et Armenis, volens se eis conformare, eum recipiunt,
sive sit Latinus, Graecus, Theutonicus aut Aegyptius. Ante
tempora cottidiana erant eis miracula propter sanctitatem, nec
eligebatur in patrem aliquis mortuo alio, nisi aliquo demon-
stratus fuisse miraculo, per caelestem accensionem lampadis
suae sedis vel alias per visionem aut oracula.

Aedificia eorum sunt, ut praedictum est, nullus admirabi-
litatis aut pretiositatis. Fui ego in ejusdam antiqui patris
cella, in qua nihil nisi paupertatis magnae signa vidi. Nulla
ad eos ingreditur foemina, nec peregrinae mulieres de trans-
marinis partibus venientes intromitterentur, si venirent, scientes
illud satyricon : Ubi sunt mulieres, ibi nec pax, nec quies, nec
sub eodem tecto habitant quies et mulieres, et qui non litigat
coelebs est; demtis aliis innumeris periculis, quae monachis
accidere solent ex mulierum cohabitatione, quae omnia pensent
et foeminas non appropinquare sinant. Olim, dum adhuc sub
obedientia apostolicae sedis erant, peregrinos maxima charitate

